

nempe est, quod antea dixi; placuit regi augustissimo hortum maiorem dono dare Collegio quod Commenciorum caussas agit, minorem vero cum contentis omnibus, librorum collectione pulcra, et quae reliqua ad hortum pertinebant, academie, quae hortulum qui in regione aedificiorum academicorum situs est, de novo instruit, aedifica necessaria paruuloque horto accommodata exstruit, quaecunque in horto nostro sunt illuc transportabit, et hortum ipsum, muro circumdataum publice vendet. Itaque paucis destruitur diebus, quod multorum annorum labore et sudore exstructum est, et horum omnium autor dici potest Frisius, qui Professor Botanices hucusque nomine tantum fuit, nunc revera erit. Mihi nil aliud superest, quam historiae naturali aeternum valedicere, inscio quid de me tandem fiet.

Ferberus, qui ante aliquod tempus apud nos fuit, accepit a Fabricio thecam insectis rarioribus nouisque refertam Tibi e Carolicrona transmittendam; et ab Oedero Florae Danicae partes quasdam aliaque, quae inter erat Delineatio plantae, quam Aletrin putas, et cuius capsulam seminalem hisce includo.

Fabricius in itinere oeconomico per Holsatiam et ducatum Slesvicensem occupatur.

Vale meque omnibus qui mihi fauent commenda. Dabam Hafn. d. 18. Augosti 1770.

à Monsieur Monsieur de Linné Chevalier, Archiatre,  
Docteur et Professeur en Botanique et Medecine à Upsala  
fr. Elseneur

(113) Equiti Illustrissimo a Linné,  
Patrono ac Praeceptorí suo numquam non  
venerando

S. pl. d. ac de nouo gratulatur  
anno

J. Zoëga.

Nescio, quas TIBI persoluam gratias, quod de me meis-  
que fatis tam sollicitus sis; summas certe, quas capere possit  
mens gratissima, hisce habeo, dico, persoluo. Hortus certe